



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 88. Scriptores A catholici hoc anno denati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

D. Thomæ summam notis illustravit, Sæc. XVII. A. C. 1674.
 propria autem Minerva elucubravit judi-
 cium de propositione Arnaldi circa Pe-
 tri gratiam, tractatum de jejunii ritu
 juxta veterem Ecclesiæ usum, disser-
 tationem de Concilio plenario ex S.
 Augustini sensu, & de Baptismatis hæ-
 reticorum assertionem, de Baptismi an-
 tiquo usu, prolusionem contra Lau-
 noium, dissertationem de Constantini
 Baptismo, Rupellam Regiis armis ex-
 pugnatam, aliaque plura politica &
 exegetica. V. Joannes Cordies S. J.
 edidit tomos tres de officio eorum, qui
 familiam componunt. VI. Hierony-
 mus Lallemand itidem socius vulgavit
 relationes de Missione Canadensi.

§. LXXXVIII.

Scriptores A catholici hoc anno denati.

Inter paucos ex Scriptoribus Acathe-
 licis hoc anno defunctis potius suis
 deliriis, quam proficuis lucubrationi-
 bus nomen sibi comparabat Joannes
 Labbadie, qui ex Jesuitarum Socie-
 tate, quam deseruit, ad Calvini castra
 profugus pro indulta sentiendi libertate,
 & fanatici ingenii sui impetu Donati-
 starum, pluriumque veterum hæreti-
 corum errores innovavit, atque ex iis
 eodem, quo olim Calvinus, ductus
Vid. supra l. 201. §. 6. p. 13. & seqq. Arnold hist. Hæret. Freher Theatr. e- rud. p. 1. sect. 3. Veisman Hist. Eccl. p. 2. fol. 864. & 912.

Hist. Escl. Tom. LXIII.

XX

spi-

Sæc. XVII. spiritu novam doctrinæ reformationem
 A. C. 1674. conflavit. Edidit solemnem fidei de-
 clarationem, responsionem ad Pasto-
 res Montalbenses, apologiam contra
 Pontificiorum criminationes, epistolam
 ad Amicos in Papatu, Psalmos Evan-
 gelicos, pluraque alia æterna oblivio-
 ne digna. II. Henricus Dieft scripsit
 Theologiam Biblicam, Euchyridion
 Theologicum, Analysin Apocalypsis,
 mellificium Catecheticum &c. III. Bo-
 naventura Rechefeld posteris reliquit
 Theologiam Catecheticam: Pietatem
 domesticam, vindicias Evangeliorum
 præter quosdam sermones. IV. Geo-
 gius Neufeld typis vulgavit disputatio-
 nes de temperantia, amicitia, tyran-
 nide, cognitione naturali existentia
 Angelicæ, de virtute morali, fortitu-
 dine, modestia, & veracitate, necnon
 de Principum virtutibus. V. Samuel
 Maresius Calvinista, quem ipsemet
 Weismanus *Virum nimis rixosum & im-*
patientem appellat, eumque assensu
 dicit, quod, *si quidquam doctrinæ de gra-*
tia universali, in suo pectore haberet, non
sanguine suo evomere vellet. Temeraria
 dictum, si tamen verum, quod testatur
 Jurieu, quæstio de gratia universali
 sit res nullius momenti, indigna, ut La-
 therani inter se & Calvinistas murum sep-
 rationis erigant, imo ipsemet Maresius

Sæc. XVII.
A.C. 1674.

absque cruento vomitu asserere ausus fuerit, quod si quid circa gratiam, & prædestinationem inter Calvinistas & Lutheranos *ex imbecillitate mentis erratur, id omne christiane tolerandum sit inter fratres cum facilius inter varia unius magnæ urbis horologia sit conventurum, quam inter omnes Theologos circa hæc capita, sane hæc tolerantia cum sanguineo suo furore conciliari non poterit.* Ceterum Marelius scripsit sermonem de Prædestinatione, antitodum contra rebellionem, apologiam Calvinistarum, acta disputationis inter Franciscanum Anonymum, & Ministros Trajectenses, tractatum de flagellantium processione, imposturam Monachalem, concordiam discordem contra Grotium, varia contra Voetium, & plura alia, in quibus multum bilis, & parum iudicii ac moderationis reperitur. VI, Joannes Müllerus edidit Lutheri defensionem, Atheismum devictum, admonitionem de vitanda doctrina Pontificiorum, Anti-Jansenium, tractatum de Quackerorum religione, & de Sacrificio Missæ Pontificiæ præter alia.